



commotus praetor fiduciarium explere conditionem difficilem non cogit, ex verbis, *alterius gratia*, supra §. 7. elicienda. Duxerunt enim ex iure praetorio Icti argumentum, et sicut praetor difficilem conditionem explere fiduciarium alterius gratia non cogit, quam alius heres, modo possit, implere debet: ita nec nomen suum mutare, et testatoris ferre heredem scriptum, ac restituere rogatum, alterius gratia, compelli posse existimarunt.

§. V.

*Origines et causae conditionis nominis ferendi, ultimis voluntatibus adscriptae, inuestigantur.*

Cum igitur Caius, ut ex haecenus dictis satis liquet, de fiduciaro dumtaxat herede, qui ex senatus consulto Trebelliano restituere paratus conditioni nominis ferendi, sibi adscriptae, parere nolit, loquatur; inepte sane Caii sententia de remittenda heredi conditione ad omnes omnino ultimas voluntates, quibus haec conditio adscripta est, profertur. Quam ob rem, genuina Caii mente detecta, age iam argumentum propositum paullo vberius persequamur, ac de natura et indole huius conditionis plenius atque accuratius differamus. Ac primum quidem quoniam haec conditio, ut quisque statim intelligit, e flagrantissimo studio conseruandi atque in animis hominum retinendi nominis memoriam, tamquam ex fonte, fluit, huiusque memoriae per heredem nominis propagandae tot tamque luculen-

ta